

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Divi Avrelii Avgvstini Hippon. Episcopi Meditationes,  
Soliloquia et Manuale**

**Augustinus, Aurelius**

**Coloniae Agrippinae, 1649**

De confeßione propriæ vilitatis, 33

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54885](#)

tor mei, sic cognovite. Cognovite per fidem tuam, quam inspirasti mihi, lux mea, lumen oculorum meorum, Domine Deus meus, spes omnium finium terræ, gaudium lætificans juventutem meam, & bonum sustentans senectutem meam. In te enim Domine jubilant omnia ossa mea, dicentia: Domine, quis similis tibi? Quis similis tibi in diis Domine? Non quem fecit manus hominum, sed qui fecisti manus hominum. Simulachra gentium argentum & aurum, opera manuum hominum; non sic operator hominum. Omnes dii gentium dæmonia; Dominus autem cœlos fecit, Dominus ipse est Deus. Dii, qui non fecerunt cœlum & terram, pereant de cœlo & de terra; Deum, qui creavit cœlum & terram, cœli & terra benedicant.

## C A P V T   XXXIII.

*De confessione propriæ vilitatis.*

1. **Q**uis similis tibi etiam in diis Domine? Quis similis tibi? Magnificus in sanctitate, terribilis atque laudabilis, & faciens miracula? Sero te cognovi lumen verum, sero te cognovi. Erat autem nubes magna & tenebrosa ante oculos vanitatis meæ: ita ut videre non possem solem justitiae, & lumen veritatis. Inolvebar in tenebris; filius tenebrarum, tenebras meas amabam: quia lumen non cognoscebam. Cæcus eram, & cæcitatem amabam, & ad tenebras per tenebras ambulabam. Quis inde me eduxit, ubi eram homo cæcus, sedens in tenebris & umbra mortis?

2. Quis

2. Quis accepit manum meam , ut inde  
me educeret? Quis est ille illuminator meus?  
Non enim quærebam , & ipse quæsivit me :  
non vocabam eum , & ipse vocavit me. Quis  
est ille ? Tu es Domine Deus meus , miseri-  
cors & miserator, Pater misericordiarum , &  
Deus totius consolationis. Tu sancte Domi-  
ne Deus meus , quem confiteor toto corde  
meo , gratias agens nomini tuo. Non te  
quærebam , tu tu me quæsivisti ; non te in-  
vocabam , tu me vocasti.

3. Vocasti enim me nomine tuo. Intona-  
sti desuper voce grandi, in interiorem aurem  
cordis mei , fiat lux ; & facta est lux , & di-  
scessit nubes magna , & liquefacta est nubes  
tenebrosa , quæ operuerat oculos meos : &  
vidi lucem tuam , & cognovi vocem tuam ,  
& dixi : Vere Domine tu es Deus meus , qui  
eduxisti me de tenebris & umbra mortis ; &  
vocasti me in admirabile lumen tuum , & ec-  
ce video. Gratias tibi illuminator meus. Et  
conversus sum , & vidi tenebras , in quibus  
fueram ; & abyssum tenebrosam , in qua ja-  
cueram ; & contremui , & expavi , & dixi :  
Væ , vae tenebris meis , in quibus jacui : Væ,  
væ cæcitati illi , in qua videre non poteram  
lumen cœli ! Væ , vae præteritæ ignorantia  
mea , quando non cognoscebam te , Domi-  
ne. Gratias tibi ago , illuminator & libera-  
tor meus , quoniam illuminasti me , & co-  
gnovite. Sero cognovi te , veritas antiqua ,  
sero te cognovi , veritas æterna. Tu eras in  
lumine , & ego in tenebris , & non cognos-  
cebam te: quia illuminari non poteram sine  
te , & non est lux extra te.

C A-